


## PROBLEMA DECIMVM.

*Quo pacto signi alicuius in terra propositi distantiam à Base  
rei in cuius summitate dimensor est commensurare queas?*

**P**incipio hic ex Problemate 8. altitudinem Turris querito, per illud nimirum signum  
ex quo iam turris distantiam scire desyderas, statimq; obserua in quod punctum filum  
dependeat in prima dimensione, sicut in hac figura litera geminata A A significat. Filum  
istud si incidat in punctum vmbrae rectae forte 20. & turris in altitudine vlnas habeat 66 2/3



dic, 100. producunt 20.  
quid igitur 66 2/3? iuxta regu-  
lam prodibunt vlnae 13 1/3 à  
turri vsq; in C C. Si aut filū  
cadat super puncta vmbrae  
versae, puta 40. rediges in re-  
gulam hoc modo, 40. faciūt  
100. quid tota dabit aut effi-  
ciet turris altitudo 66 2/3? se-  
cundū regulæ præscriptum  
produces inde 166 2/3 distanti-  
am turris à signo D D.

## PROBLEMA VNDECIMVM.

*Proposita Turris altitudinem ex alia Turri  
adhuc sublimiore quomodo colligas?*

**H**IC propositæ primum Turris ea in qua tu es distantiam per præmissum hoc Proble-  
ma & altitudinem huius in qua tu es per octauam huius collige, & fingamus distan-  
tiam inuenisse te vlnas 13 1/3. Turris vero altitudinem vlnas 66 2/3, respiciens ergo iam ex  
illa tua editiore turri in summitatem alterius si inuenis filum dependere in 70. punctum  
vmbrae rectae, regula sic posita dic, 70. puncta conficiunt 100. quid faciunt vlnae 13 1/3?  
Confectis itaq; hic iuxta regulam proportionum rationibus habebis vlnas 19 1/2. eas ab  
altitudine Turris 66 2/3 vbi subtraxeris, remanebit illius altitudo 47 1/3 vlnae, atqui hoc il-  
lud erat quod querebas. Si autem filum ceciderit super puncta vmbrae versae, puta 80  
& inter illā alteram Turrim & hanc in qua tu es vlnas inuenisti 166 2/3. Turris vero huius  
tuæ, sicut ante dictum est altitudinem 66 2/3 vlnarum, proposita regula mercatorum inueni-  
es etiam alterius turris altitudinem, dic, 100. puncta ( tota nimirum vmbra versa ) exhi-  
bent nobis 80. puncta versae vmbrae, quid dabunt 166 2/3 vlnae? hic si debito regulæ modo  
operaberis comperis 133 1/3. quem deinceps numerum rursus in regulam cum ipsa altitu-  
dine Turris reponito, & vtriusq; etiam distantia hoc modo, 166 2/3 dant 133 1/3 quid dabūt  
66 2/3? inuenies ibi 53 1/3, qd vbi subtraxeris à 66 2/3, remanebit 13 1/3 altitudo turris optata.

## PROBLEMA DVODECIMVM.

*Fontium profunditates quo ingenio  
quoq; solertia scruteris?*

**V**T videas Horoscopium hoc nostrum ad omnem esse vsū ad commodatissimum,  
nec tantum ad dimensiones stellarum, horarum, turrium, etiam ad ipsas fontium pro-  
funditates

